







1778, 5 14

529

DISSERTATIO  
INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

# TACITIS HYPOTHECIS

QVAE  
LIBERIS IN BONIS PARENTVM  
COMPETVNT

QVAM

AVSPICIIIS REGIIS

ILLVSTRIS ORDINIS ICTORVM AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

CAPESSENDIS

D. VIII. SEPT. MDCCLXXVIII.

H. L. Q. C.

PVBLCO EXAMINI

SVBMITTIT

HARRE FRIDERICVS FEDDEN

BREMENSIS

GOTTINGAE,

Litteris JOANN. CHRIST. DIETERICH

ACAD. TYPOGR.

*F. Fedden  
De Taciti Hypothecis*



IN AVGVRAJIS IVRIDICA  
DE  
TACITIS HYPOTHECIS  
LIBRIS IN BONIS PARENTVM

AVAN  
ASPICIS REGIS  
INSTRVCTIOVN AVTORITATE  
STVNIS INVTROVE IVEE MONODVS  
CATALOGVS

D. DIE SEPT. MDCCXXVIII  
K. A. S. B. V. S.  
PABLO EXAMINI  
HARRI FRIDERICI REDDEN

GOTTINGEN  
LUDWIG VON CROWE





LIBERAE ATQVE INCLVTAE

SACRI ROMANI IMPERII

REIPUBLICAE BREMENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMIS VIRIS  
PERILLVSTRI BV S MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS

AMPLISSIMIS CONSVLTISSIMIS ET

PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

CONSVLIBVS

DOMINIS

SYNDICIS

DOMINIS

SENATORIBVS



RELIGIONIS LIBERTATIS ET IVSTITIAE  
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS  
TUTORIBVS OPTIMIS  
PATRONIS AC FAVORIBVS SVIS  
INDVLGENTISSIMIS  
OMNI REVERENTIAE CVLTV AETATEM  
PROSEQVENDIS  
PERENNEM FELICITATEM FAVSTISSIMOSQVE  
SAPIENTISSIMORVM CONSILIORVM SVCCESSVS  
PIE ADPRECATVR  
SIMVLQVE  
DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM  
DEVOTA MENTE  
SACRAM FACIT

FEDDEN.





§. I.  
*Ratio instituti.*

**Q**ui specimen academicum foras dare cupiunt, merito ad id animum attendunt, vt materiam sibi deligant et suis viribus accommodatam et lectoribus non inutilem. Neque enim iis possum assentiri, qui, vt nouum aliquid et non auditum non dictumque aliis in chartam coniciant, primitias studiorum suorum publice exposituri nimis pro imperio praecipunt. Namque vix fieri potest vt veteranus in arte nostra argumentum sibi sumat euoluendum; in quo pertractando non ante eum plurimi operam iam posuerint suam. Sed quorsum haec disputo? vt scilicet intelligat lector beneuolus, me, quem Leges Ordinis iuridici ad specimen elaborandum obstrinxerunt, non temere, quod hoc opusculum exhibet, pertractandum sumfisse argumentum. Et quamuis suscipere et profiteri nolim, me nisi noua et aliis non animaduersa non tradere, id tamen plane asseuerare et quouis pignore contendere possum; me ex ipsis

A

legi-



legibus inspectis totum hoc argumentum tricis Doctorum maxime inuolutum breuiter ita proposuisse, ut de neglecto casu quodam, qui ad scopum meum forte faceret, ex iure communi decidendo, vix ac ne vix quidem iure aliquis queri posset. Breui tractationi longam praefationem male conuenire plane ac plene persuasus, filum praefandi abrumpo et ad ipsam instituti tractationem accedo.

## §. II.

### *Notio Pignoris et Hypothecae.*

Vocabulum *pignus* in iis esse collocandum, qui ambiguum habent significatum, inter omnes constat. Alias scilicet usurpatur ad denotandam rem, in qua ius certum alteri competit; alias contra ea adhibetur ad ius ipsum in re quadam constitutum indicandam. Prior significatus obiectiuus, posterior subiectiuus commode appellatur. Vterque ita comparatus, ut qui alterum perspexerit, alterum non possit non tenere. Est autem *pignus* obiectiue sumtum res, quae pro debito quodam alteri est obligata. Nimirum quum non tantum ex contractu et maleficio, sed etiam proprio quodam iure ex variis causarum figuris accidere queat, ut alteri ad praestandum aliquid sim obligatus; ad maiorem praestationis futurae securitatem creditori meo in re quadam mea constitui potest ius, ut cuius ex illa percipere queat, vel ipsius debiti, vel eius, quod interest id non fuisse praestitum, solutionem. Quo casu posito res ipsa *pignus* pro debito constitutum dicitur. Ius vero ipsum, quod creditor ad securitatem crediti in re alterius ita constitutum habet; *pignus* in sensu subiectiuo audit. Sollemne etiam est ICTis usurpare nomen Hypothecae ex graeca lingua desumptum, vt



vt non immerito MARCIANVS a) inter pignus et Hypothecam tantum nominis sonum differre asserat. Vnde quiuis facile intelligit, quid Hypotheca obiectiue, quid subiectiue ea dicta sibi velit. Praeter significatus, quos vocabulis tum pignoris tum Hypothecae respondere modo notauimus latiores, non alienum erit monere lectorem de significatibus quibusdam strictioribus ex vsu tecnico hisce terminis accommodandis. Scilicet vti pignus stricte indicat rem, in qua ius in securitatem creditori constitutum est, ipsi creditori traditam, et strictissime, si eiusmodi res ad classem mobilium est referenda b): ita Hypotheca stricte res, in qua creditori quidem ad securitatem crediti ius est constitutum, sed quae ab ipso non possidetur, solet vocari. Ex dictis per se patet 1) ius pignoris seu Hypothecae constitui posse in qualibet re in commercio posita, siue corporalis sit siue incorporalis siue mobilis siue immobilis c). 2) Idem illud ius esse accessorium alterius iuris in cuius securitatem seruire debet adeoque hoc iure tamquam principali suo non posse esse anterius, eodemque extincto non posse fieri quin euacuetur d).

### §. III.

#### *Pignus voluntarium eiusque species.*

Qui ad notionem pignoris subiectiue sic dicti, quam explicuimus, animum aduerterit, non difficulter intelliget varias eius dari species. Etenim si ad originem iuris in re aliena in securitatem crediti constituti respicere voluerimus; oppido patet, illud creditori competere posse; vel ex libera debitoris vo-

A 2

lun-

- a) L. 5. §. 1. D. de pign. et Hyp.  
 b) L. 238. §. 2. D. de Verb. sign.  
 c) L. 9. §. 1. D. de pign. et Hyp.  
 d) L. 5. D. de pign. L. 43. D. de solut.



luntate, vel praeter debitoris voluntatem. Illud ius pignoris voluntarium, seu pignus voluntarium vocatur; quod iterum vel ex vltima voluntate vel ex conuentione ortum suum trahere potest. Prius testamentarium e), posterius conuentionale nominatur; idque prout vel per conuentionem consensualem; seu simplex pactum, vel per conuentionem realem constituitur, vel *Hypotheca* f) vel pignus in stricto sensu vocatur. Non abs re erit notare, 1) negotium illud reale, per quod pignus in stricto sensu constituitur, contractum esse nominatum; ex quo actio pignoratitia personalis oritur g), 2) conuentionem consensualem de iure Hypothecae constituendo esse pactum, quod tuitione Praetoris fulcitur h) atque actionem producit Hypothecariam eamque realem i).

#### §. IV.

##### *Pignus necessarium a Magistratu constitutum.*

Haec dicta sufficiant de pignore, quod ex voluntate debitoris constituitur. Quum vero etiam fieri possit, vt praeter debitoris voluntatem creditori pignus in re debitoris constituatur; quod ideo necessarium commode appellatur: iuuabit in eas, quibus eiusmodi pignoris locus datur, paulo penitus inquirere visiones. Atque tum sponte veluti sua se offert diuersitas eius, quod vel immediate ex legis dispositione, vel mediante facto magistratus constituitur. Superius vel ante condemnationem debitoris ad solum finem securitatis creditoris, vel post con-

e) L. 26. ff. de pignorat. act.

f) L. 4. D. de pign.

g) §. 4. Instit. quibus modis re contrah. oblig.

h) L. 17. §. 2. D. de pactis,

i) §. 7. Inst. de act.



demnationem debitoris praeterea ad finem iudicati exsequendi constituitur, Illud Praetorium *k*), hoc iudiciale vocant *l*). Iurisconsultos, qui in foro versantur, non fugit, dari prouincias, in quibus per arrestum, in bona debitoris debito modo impetratum, ius pignoris constituitur. Mihi quidem vix dubium videtur, quin illud pro specie pignoris Praetorii sit habendum *m*). Quamuis in hoc prioritas temporis impetrati arresti soleat attendi, cuius in pignoribus Praetoriis eiusdem generis de iure communi ratio non habetur *n*).

§. V.

*Pignus necessarium legale vel tacitum.*

Considerauimus haecenus pignoris necessarii speciem, quae mediante facto magistratus constituitur. Iam ad illud respicere lubet, quod immediate ex lege ortum tenuit suum. Pignus hoc *legale* nuncupare solent iurisconsulti, item *tacitum*, cui tamen posteriori denominationi optime vocabulum *necessarium* additur; siquidem voluntarium pignus, de quo iam egimus, non expressis tantum verbis, sed etiam facto ipso, hoc est tacite potest constitui; de quo plura suppeditat HERTIVS *o*). Quum vocabula Hypotheca et pignus promiscue soleant vsurpari, facile iam intelligitur, quid sibi velit *Hypotheca legalis*, seu *tacita necessaria*. Quumque vel me non monente pateat, Hypothecam tacitam ipsa lege immediate constitutam, vel omnia

A 3

*k*) L. 3. L. 5. L. vt in poss. legat. L. 1. et 2. C. de pign. Praet.

*l*) L. 10. D. qui pot. in pig. L. 15. pr. D. de re iud.

*m*) BOEHMER de Act. Sect. 2. Cap. 3. §. 107.

*n*) L. 2. C. qui pot. in pig. L. 3. vt in poss. Legat.

*o*) In Diff. de pign. tac. conuent.



debitoris bona afficere, vel tantum res singulares debitori quaefitas; sequitur, vt, ipsa ratione extensionis habita, debeat difpesci in *generalem* et *specialem*. Specialis nimirum illa est, quae vi legis res debitoris singulares afficit, generalis contra ea ad vniuersa debitoris bona pertinet, idque duplici ratione: mox enim ad omnia debitoris bona indistincte porrigitur, mox bona *certi generis* e. gr. hereditaria *p)* afficit. Vnde diuisioni Hypothecae legalis generalis in *simpliciter* et *secundum quid* talem, sua fatis, opinor, constabit ratio.

#### §. VI.

##### *Est ius singulare ex iure positiuo descendens.*

Diximus Hypothecam legalem esse ius creditori in securitatem crediti in bonis debitoris ab ipsa lege constitutum, vnde non immerito quaeritur, an ipsa lege naturali, an positiuo tantum, tale ius competat. Quod ad ius naturae adinet, nulli dubitamus negare, inde repetendam esse ipso iure bona debitoris afficientem Hypothecam. In alia quidem omnia eundem sibi existimauit Cl. de WOLFF *q)*. Sed videtur mihi ius in personam debitoris ad consequendam solutionem ex ipsius bonis miscere cum iure in bonis ipsis contra tertium possessorem exercendo: Quoties enim cunque Caius mihi centum ex quauis causa iure perfecto debet, non potest non mihi competere ius ipsum cogendi vt huic obligationi faciat id quod est fatis: quumque ex eo, quod ad bona ipsius pertinet, haec satisfactio praestari debeat; per se patet, mihi competere ius ipsum cogendi, vt ex bonis suis tantum in me transferat, quantum requiritur ad nexum obligationis dissoluedum. At enim

*p)* L. i. C. Communia de Legat.

*q)* In instit. iur. nat. et gent. §. 107.



enim ipsa debitoris bona ita mihi esse obligata, vt contra quem-  
uis tertium eorum possessorem experiri mihi liceat, vt ea pro  
debito extinguendo occupem; id quidem ex principio vel amo-  
ris homini penes nos debiti, vel societatis colendae, vel aequa-  
litatis tuendae cauendique, ne, quod tibi non vis fieri, alteri  
feceris, deriuari nullo modo poterit. Certum igitur est, me  
quidem iudice quam quod certissimum, omnem Hypothecam  
secundum principia iuris vniuersalis requirere constitutionem  
hominis, qui esse potest, vel ipse debitor, vel legislator posi-  
ta societate ciuili. Atque haec principia agnouerunt Romani Le-  
gumlatores, qui non cuius obligationi Hypothecam ipso iure  
voluerunt esse iunctam. Sed prudentiae creditoris ex regula  
committendum putauerunt, de hypotheca in securitatem cre-  
diti constituenda sibi prospicere; paucosque tantum casus ab  
hac regula excipiendos censuere, in quibus ipsi creditum tanto  
dignum fauore iudicarunt; vt ipsum priuilegio Hypothecae le-  
galis munirent. Vnde pronò alueo fluit 1), ius Hypothecae le-  
galis rationem habere iuris singularis seu priuilegii r), hincque  
2) nullo casu esse admittendum, nisi vbi ex legis dispositione  
clara vel argumento ex lege rite ducto potest corroborari, et  
denique 3) vltra casus determinatos non temere esse extenden-  
dum s). Id vero quiuis vel me non monente largietur, ius,  
cui Hypotheca tacita originem suam debet, aequè particulare,  
atque commune, aequè consuetudinarium atque scriptum esse  
posse.

### §. VII.

r) L. I. C. commun. de Legat. L. vn. §. I. C. de rei vxoriae act. L. 6.  
§. 4. C. de bon. quaelib.

s) L. 14. D. de legibus. LAUTERBACH colleg. theor. pract. Tit. in  
quibus causis pignus §. 4.



§. VII. *Hypothecae tacitae liberorum sunt vel communes vel propriae.*

Quae hucusque de iure pignoris et Hypothecae tractauimus, eum in finem a nobis sunt breuiter proposita, vt, quae de Hypotheca tacita liberis in bonis parentum competente disputare in animum induximus, eo melius percipiantur. Meditanti igitur mihi de iis, in quibus dicta Hypotheca locum sibi postulat, casibus, fundamenti loco ponendum videtur, quod ex dictis patet, principium: quicumque liberis in bonis parentum Hypothecam tacitam competere asserit; vel legem vel argumentum ex lege rite desumptum afferre debet, cui assertum ius Hypothecae innitatur. Contra ea nullo iuris praesidio fultam adstruere liberis Hypothecam tacitam in bonis parentum, idem est atque temere aliquid fingere; neque minorem habet in arte nostra reprehensionem, atque in rerum naturalium causis inuestigandis qualitates nescio quas occultas pro veris causis velle inculcare. Quo quidem rite percepto, non difficile erit intelligere, casus, in quibus leges liberis in bonis parentum ius Hypothecae tacitae tribuunt; esse vel eos, in quibus et aliis personis praeter liberos tale ius singulare est tributum; vel eos, in quibus liberis saltem, qua liberis, ex speciali fauore legum illud est concessum. Si prius obtinet, liberi in bonis parentum tacitam Hypothecam habent *communem*; sin posterius, *propria* quadam Hypotheca tacita gaudere, quae ipsis tantum qua liberis competit, merito dicuntur.



§. VIII.  
*Hypothecae liberorum tacitae communes sunt vel genera-  
 les vel speciales.*

Hypotheca tacita *communis* liberis competit in bonis parentum in omnibus casibus, in quibus etiam alii creditores Hypothecam tacitam habent. Etenim; quando leges posita determinata crediti visione aequum censent, vt creditori indefinite tribuatur Hypotheca in maiorem crediti securitatem; talis indefinita, concessio sine dubio vniuersaliter erit accipienda, adeoque etiam ad liberos creditores erit accommodanda; idque eo maiore iure, quo magis in aliis casibus liberis fauent leges, quoque minus ratio apparet vlla quare liberi extraneis creditoribus deterioris conditionis esse debeant. Porro quum Hypotheca legalis vel generalis esse possit vel specialis atque generalis in simpliciter talem, vel secundum quid talem subdiuidatur: (§. 5.) sequitur, vt Hypothecam legalem communem liberis in bonis parentum competentem mox *generalem* mox *specialem*; eamque mox *simpliciter* mox *secundum quid talem* admittere debeamus.

§. IX.  
*Hypothecae tacitae communes generales I) ex administratione tutelae.*

Hiscæ positis considerabimus primo loco casum Hypothecae tacitae generalis eiusque communis liberis in bonis parentum competentis, quatenus hi tutelam eorum gesserunt. Vix commodius et luculentius hunc casum proponere posse mihi videri, quam si primum, quae leges de Hypotheca pupillorum in bonis tutorum disposuerunt, atque tum quando tutelae parentum

B in



in liberos locus sit expofuero. Quemadmodum naturalis ratio tutelae impuberum, qui per aetatem fe fponfe defendere fuifque rebus fupereffe nequeunt inuexit<sup>t)</sup>; ita eadem duce agnita femper eft obligatio tutorum finita minimum tutela rationes reddendi iisque redditus reftituendi refidui et praefrandi damni dolo vel culpa dati in rebus pupillaribus<sup>u)</sup>. At enim haec obligatio quafi ex contractu ex adminiftratione rerum pupillarium descendens per fe in perfonam tutoris eft concepta eiusque bona per fe nullo nexu afficit. Atque haec principia agnofcentes Romani de iure antiquo nullum ius tacitae Hypothecae in fauorem pupillorum ftatuiffe videntur, id vnum fufficere rati ipsis praerogatiuam tribuere prae caeteris creditoribus chirographariis (quod PAPINIANVS<sup>v)</sup> et VLPIANVS<sup>\*)</sup>) non obfcure docent. Poftea huic priuilegio personali additum videtur ius Hypothecae tacitae intuitu eius, quod ex iudicato tutor debebat olim pupillo<sup>w)</sup> fuo. Atque haec tacita Hypotheca fucceffu temporis eoufque fuit extenfa, vt a momento fufceptae adminiftrationis omnia tutoris bona iam tempore Conftantini af-feciffe videatur<sup>x)</sup>. Quum itaque iure recentiore pupillis Hypotheca tacita in bonis tutorum indefinite competat; nullum mihi haeret dubium, quin et eadem Hypotheca liberis fit afserenda in bonis parentum, qui ipforum tutelam gesserunt. Poffunt autem gerere tutelam liberorum parentes non tantum fexus mafculini fed etiam fexus fequioris. Nam quamuis tu-  
tela

t) L. 2. §. 2. D. qui petant tut. vel curat.

u) §. 2. Inftit. de oblig. quae quafi ex contract. nafc.

v) L. 42. D. de adminiftr. et per. tut.

\*) L. 19. §. 1. de rebus autor. iud. poffid.

w) L. vn. C. rem alien. gerent. non interdici.

x) L. 20. C. de adm. tut. GODOFRÆDVS ad L. 1. Cod. Theodof. de adminiftr. et peric. tut.



tela tamquam munus virile spectaretur *y*) ideoque mulieres ab ea regulariter exclusae intelligerentur *z*) nisi eam per modum exceptionis a principe impetrasset *a*): tamen notissimum est, Imperatorem *IUSTINIANVM* matrem et auam ad tutelam liberorum legitimam volentes admisisse *b*). Parentes autem sexus masculini ex principiis iuris nostri esse queunt tutores vel legitimorum vel illegitimorum. Horum quidem non nisi datiu. Illorum autem vel testamentarii, vel legitimi qua proximi successores. Prior casus obtinet vbi *SEMPRONIVS* a patris *CAII* potestate liberatus filio suo *TITIO* testamento *CAIVM* tutorem constituit. Posterior vero non tantum locum habet in auo et ascendentibus vltiorum gradum, lineae maternae sed etiam in ascendentibus e latere paterno, immo in ipso patre. Si enim pater filium impuberem emancipauerit ob ius agnationis et inde pendens ius succedendi per emancipationem non sublatum *c*) hodie tutelam filii legitimam sustinet, qua proximus ab intestato successurus neque ex iure Patronatus demum vti olim *d*) ad eam vocari debet. Hisce praemonitis iure mihi colligere videor 1) liberos Hypothecam habere tacitam in bonis ascendentium cuiusuis sexus, qui tutelam eorum gesserunt. 2) Hanc Hypothecam esse generalem omnia ipsorum bona afficientem, 3) illam ex tempore suscipiendae administrationis competere *e*) non vero 4) esse priuilegiatam sed simplicem.

B 2

Haec

*y*) L. 2. D. de reg. iur.

*z*) L. fin. D. de tut. L. I. C. quando mal. offi. tutel.

*a*) L. fin. de tutel.

*b*) L. fin. C. quando mul. off. tut. Nov. 118. C. 5.

*c*) Nov. 118. C. 4.

*d*) §. vn. Instit. de legit. par. tut. L. 3. §. vlt. D. de legit. tut.

*e*) Arg. L. 6. §. 4. C. de bonis. quae lib.



Haec enim omnia in bonis tutoris generaliter a legibus sunt introducta, adeoque non magisposito tutore quouis extraneo, quam admissio tutore e numero ascendendum sunt adfruenda. Id vnum monere non abs re erit; posita tutela matris vel auiae tutricem nisi redditis rationibus ad secundas nuptias prouolare non debere. Si vero, hoc non seruato ad secunda vota transierit; praeter ius tacitae Hypothecae, quod liberis in bonis matris vel auicae iam competeat, leges statuerunt: vt bona ipsa vitrici ad maiorem pupillorum securitatem vinculo Hypothecae subiecta esse debeant f).

§. X.

2) Ex dotis promissione et 3) ex legato debito.

Notissimus est in arte nostra fauor matrimoniorum atque inde emanans fauor dotium. Eminent inter specimina huius fauoris dispositio IUSTINIANI g) vi cuius in securitatem dotis promissae tacita hypotheca generalis in bonis promissoris fundata est. Verba legis sunt, quae sequuntur: *et vt plenius dotibus subueniatur, quemadmodum in administratione pupillarum rerum, et in aliis multis iuris articulis tacitas Hypothecas inesse accipimus, ita et in huiusmodi actione damus ex viroque latere Hypothecam suae ex parte mariti pro restitutione dotis, suae ex parte mulieris pro ipsa dote praestanda vel rebus dotalibus euictis, suae ipsae principales personae dotes dederint vel promiserint vel susceperint siue aliae pro his personae; et dos siue aduentitia siue profectitia sit secundum veteris iuris nominationem.* Prono inde fluit alueo, et liberis ratione dotis promissae a parentibus in bonis ipsorum tribuendam esse

f) L. 6. C. in quib. caus. pign. vel Hyp. tac. contrah.

g) L. vn. §. 1. C. de rei vxor. act.



esse Hypothecam hanc tacitam communem. Si igitur filius emancipatus TITIVS CAIAM vxorem duxerit, quam pater TITII dotandam suscepit, nullum esse potest dubium quin pro dote, a patre promissa TITIO in bonis patris sui aequae Hypotheca competat; atque ipsi competret; si extraneus se ad dotandum obstrinxisset. Porro si filia TITIO nupserit, dote a filiae patre promissa, sed non praestita, moxque morte mariti matrimonium hodie a patria potestate liberatae; competere ius exigendi solutionem dotis promissae cum iure tacitae Hypothecae in bonis patris promissoris. Et licet mater mutatis casibus loco patris substituatur: quivis vel me non monente intelligit, in ipsius bonis pro dote promissa tantam Hypothecam esse fundatam. Est autem haec Hypotheca generalis *simpliciter talis* sicut liberi, quibus a parentibus legatum debetur, itidem Hypothecam tacitam communem generalem sed *secundum quid talem* habent quae tantum bona hereditaria quae ad oneratum parentem perueniunt, afficit *h*).

### §. XI.

#### *Hypothecae tacitae communes speciales.*

Hi fere erunt casus, in quibus liberis Hypotheca tacita eaque generalis in bonis parentum ex iure cum extraneis creditoribus communi competit. Iam porro consideremus, quando *specialis* Hypotheca tacita in bonis parentum, ipsis detur aequae atque aliis in creditum euntibus. Hic primo loco se mihi offert casus, quem tractat PAPINIANVS *i*), dum *Senatus-*

B 3

*h*) L. I. C. commun. de Legat.

*i*) L. I. D. in quib. caus. pign. v. Hypoth.



consulto ait, quod sub Marco imperatore factum est, pignus in sulae creditori datum, qui pecuniam ad restitutionem aedificii exstruendi mutuum dedit ad eum quoque pertinebit, qui redemptori, domino mandante, nummos ministravit. Discimus ex lege modo laudata; praesertim ubi locum *VLPIANI k)* ipsi iunxerimus: Senatusconsulto ad orationem *MARCI ANTONINI* condito stabilitam esse Hypothecam tacitam in fauorem creditorum ad restitutionem aedificiorum eamque a Iurisconsultis optimo iure etiam assertam fuisse ei, qui redemptori mandato domini pecuniam subministraverit. Et quamvis Vir summus *CVIACIVS l)* asserat Hypothecam tacitam tunc tantum obtinere, ubi quis pecuniam ad reaedificandas aedes, vel collapsas vel exustas mutuum dederit! malim tamen iis assentiri, qui et ratione legis et significato vocabuli *restituere* freti statuunt hanc Hypothecam eo quoque obtinere casu si quis pecuniam ad reficiendas aedes alias collapsuras; seu quomocumque deteriores futuras mutuum dederit. Quibus quidem praemissis extra dubium mihi videtur positum, quin et liberis, qui parentibus ad reficienda aedificia pecuniam dederunt; eadem tacita Hypotheca specialis sit assignanda. Secundo loco huc facit species, quam tractat *NERATIVS m)* dum eo iure inquit *utimur, ut, quae in praedia urbana inducta illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite conuenerit; in rusticis praediis contra obseruatur.* Vbi notes *1)* ea demum inducta et illata nexu pignoris taciti affici docente *POMPONIO n)*, quae, ut ibi perpetuo sint, non ad tempus sunt inuecta; *2)* haec illata probante *MARCIANO o)* non solum

*k)* L. 24. §. 1. de reb. auct. ind. possid.

*l)* ad L. 1. D. in quib. caus. pign. vel hypoth.

*m)* in L. 4. D. in quibus caus. pign. v. Hypoth.

*n)* in L. 7. §. 1. D. eod.

*o)* in L. 2. D. eod.



lum pro pensionibus; sed et si deteriorem habitationem culpa sua inquilinus reddat, pignori esse obligata. Denique 3) stabula quoque horreum et area, quatenus recipiendis hospitem equis et rebus in commercium deducendis inferuiunt, eodem iure censerentur, ut, quae illis perpetui usus gratia a conductore sunt inuecta, pignoris taciti onus subeant *p*). His praefructis, colligo et liberos, quorum praedia urbana conduxerunt parentes, eodem pignoris taciti beneficio gaudere pro iis, quae ex contractu locationis conductionis ipsis debentur. Et quum tertio constet, locato praedio rustico fructus, qui ibi nascuntur tacite intelligi pignore esse domino fundi locati, etiam si nominatim id non conuenerit, perhibente eius iuris singularis testimonium POMPONIO *q*), prono sequitur alueo; ut et liberis, quorum praedia rustica parentes iure conductionis tenent, in fructibus horum praediorum fauente Themide ius hypothecae tacitae debeamus assignare. Denique cum pupillis fundo ALPIANO *r*), tacita Hypotheca specialis in iis rebus competit; quae is, qui non tutor est, pro pecunia eorum sibi comparauit, omni carere dubio videtur, quin liberis sub aliorum tutela constitutis in illis rebus, quas parentes pro pecunia eorum sibi comparauerunt, tacita Hypotheca specialis sit tribuenda.

## §. XII.

### *Hypothecae tacitae propriae liberorum.*

Transimus iam ad Hypothecas tacitas generales, easque *proprias*, quae scilicet liberis, qua talibus in bonis parentum com-

*p*) L. 3. L. 4. §. 1. D. eodem L. 198. D. de V. S.

*q*) in L. 7. pr. D. in quib. causis, pign. vel Hypoth.

*r*) L. 7. pr. D. qui pot. in pign.



competunt. Haec iterum sunt in duplici differentia; nimirum vel ita sunt comparata, vt in bonis vtriusque parentis locum habere possint, vel in bonis patris tantum. Vt ordine procedamus; iuuabit primo loco sub examen reuocare casum Hypothecae tacitae generalis liberis; qua talibus competentis in bonis parentis vtriusque sexus. Ille quidem quasi sponte sua sese offert, vbi in memoriam reuocamus ea, quae leges in fauorem liberorum prioris matrimonii disposuerunt; quando parentes soluto priori matrimonio ad secunda vota transire e re sua esse dixerunt.

§. XIV.

4) *In bonis cuiusuis parentis ob secundas nuptias.*

Quemadmodum leges naturales minime impediunt, quo minus coniux, priorē matrimonio soluto; nouas contrahat nuptias, ita leges nostrae positivae tum ciuiles, tum ecclesiasticae libertatem hanc naturalem nullo modo tollunt; sed id tantum agendum sibi putarunt esse Legumlatores romani, vt cauerent; ne quid detrimenti inde liberis prioris matrimonii caperent. Hanc ob causam LEO et ANTHEMIVS sanxerunt s): vt ne coniux secundo nubens in nouum coniugem, plus transferret; siue actu inter viuos siue mortis causa, quam vni, cui minimum cessit, ex liberis prioris matrimonii relictum vel datum sit, quod plus relictum vel datum fuerit ad personas deferri liberorum, eorumque prioris matrimonii t). Eundem in finem, quod ad nostrum fecit institutum GRATIANVS, VALENTI-

NIA-

s) in L. 6. C. de secund. nupt.

t) Quod IUSTINIANVS sanxit Nou. 22. c. 27. contra L. 9. C. de secund. nupt.



NIANVS et THEODOSIVS voluerunt *u*), vt mater ad secunda vota prouolans proprietate eorum excideret, quae a priori coniuge acceperat, quod ius non solum ad maritum binubum ex priore matrimonio liberos habentem, extendit IVSTINIANVS *v*), sed praeterea *w*) ad ea bona propagauit, quae parenti binubo ex successione liberorum prioris tori acquiruntur; modo *r*) bona a parente defuncto proueniant, et *2*) liberi intestati mortui sint. Et quamuis non negem verba laudatae Nouellae *x*), tantum de matre binuba expresse loqui; tamen eius iuris ad patrem binubum quoque admittere extensionem nullus dubitauerim. Tum ob rationis paritatem; tum ob analogiam iuris, quod patrem in hoc argumento cum matre exaequandum esse docuit *y*). Notari heic velim *r*), vsum fructum, quem parens binubus retinet, esse speciem vsusfructus legitimi et *2*) proprietatem, quae liberis prioris matrimonii tribuitur; non puram esse et absolutam, sed *conditionatam* ius scilicet futurum inuoluentem; quippe casum, vbi parenti binubo superuixerint, respicientem *z*). Quare liberis prioris tori, non relictis descendentibus, *a*) ante binubum parentem e vita decedentibus heredes ipsorum ea bona arrogare sibi nequeunt. Cui quidem iuri singulari euentualis proprietatis, liberis prioris matrimonii concessio, quo melius prospectum

*u*) in L. 3. C. de secund. nupt.

*v*) in L. 8. §. 4. et 5. C. eod. N. 22. c. 23.

*w*) in cit. Nou. c. 46. §. 2.

*x*) C. 46. §. 2.

*y*) L. 8. C. de secund. nupt. Nov. 22. c. 23.

*z*) L. 3. §. 1. C. eod. Voet, ad D. Tit. de nupt. §. 106.

*a*) Nov. 22. c. 25.



stum sit; leges addidere ius Hypothecae tacitae generalis in bonis parentis binubi, siue hic pater *b*) siue mater sit *c*).

#### §. XIV.

*In bonis patris ob administrationem aduentitiorum.*

Accedimus iam ad considerandam hypothecam tacitam generalem; quae liberis qua talibus in bonis *patris tantum* est tributa. Eaque respicit securitatem bonorum aduentitiorum ordinariorum, quorum proprietas liberis, administratio vero et ususfructus patri liberos in potestate habenti competit. Inter omnes constat liberos in potestate patria constitutos olim omnia patri acquisuisse *d*). Verum uti iam sub Imperatoribus gentilibus ab hac iuris antiqui regula peculium militare exceptum fuit *e*); ita sub Imperatoribus Christianis iura peculii *aduentitii* quod *ordinarium* vocamus inualuerunt. Primus CONSTANTINVS M. voluit *f*) ut bona materna patri tantum quoad usum fructum acquirerentur a liberis. Quod quidem ius a CONSTANTINO introductum non tantum confirmavit CONSTANTIVS, sed etiam casus quosdam induxit in quibus auorum maternorum bona non patri, nec heredibus eius acquirerentur *g*). Imperatores porro GRATIANVS VALENTINIANVS et THEODOSIVS *h*) cauerunt, ut, quae matris pater ac mater: quaeque auus matris aut auia nepotibus, pronepotibusue

*b*) L. 8. §. 45. C. de secund. nupt.

*c*) L. 612. C. eod.

*d*) §. 1. Inst. per quas perf. cuique acquir.

*e*) cit. §. 1. L. 3. L. II. D. de castr. pecul.

*f*) L. 1. de bon. matern. L. 1. L. 2. L. 3. C. Theod. de matern. bon.

*g*) L. 5. C. Theod. matern. bon.

L. 6. Cod. Theod. eodem.



uerint vel ab intestato reliquerint patribus alienare non liceat. Tum ARCADIVS et HONORIVS *i*) fanciuerunt: vt, quicquid auus, auia, proauus, proauia ex materna linea venientes nepoti; nepti, pronepoti pronepti; testamento, fideicommissio, legato, donatione, vel alio quolibet titulo largitionis vel etiam intestati successione contulerint; pater filio filiaeue integra illibataeue custodiat vsufructu tantum ad eum pertinente. Mox THEODOSIVS iunior et VALENTINIANVS *h*) rescripserunt: vt quicquid vxor marito non emancipato vel maritus vxori in potestate positae quocunque titulo vel iure contulerit, siue transmiserit; hoc patri nullatenus acquiratur; si scilicet proprietatem spectes secus vsufructum *l*). Tandem ab his omnibus exemplum duxit IUSTINIANVS initio ad bona ex matrimonio quaesita *m*) et demum ad omnis generis bona aduentitia *n*) vt adeo bona aduentitia ordinaria liberorum hodie merito dispescamus in materna vel non materna.

### §. XV.

#### I) Ratione maternorum, ratione quorum matri Hypotheca competebat.

Consideraturis igitur, an et quatenus in securitatem aduentitiorum bonorum liberis de Hypotheca tacita prospexerint leges, vix commodior via patet; quam vt primo loco ad ea atten-

C 2

*i*) L. 2. C. de bon. matern. L. 7. C. Theod. eodem.

*h*) L. 1. C. de bon. quae lib.

*l*) L. 12. C. de Collat.

*m*) L. 4. et 5. C. de bon. quae lib.

*n*) L. 6. C. eod.



tendamus aduentitia quae materna diximus. Atque in iis considerandis iterum discrimen notatu dignissimum sese offert. Nimirum fieri potest, ut matri, dum in viuis erat, iam Hypotheca tacita in bonis mariti in eorum securitatem competere; uti etiam interdum contingit, ut nulla intuitu eorum matri viuenti a legibus sit tributa Hypotheca. Vnus huius distinctionis est luculentissimus. Si enim ponimus materna bona, in liberos deuoluta post mortem matris, quorum nomine matri iam a legibus erat tributa Hypotheca tacita in bonis mariti, nulla sane dubitandi ratio esse potest; quin eadem haec Hypotheca etiam liberis, tamquam heredibus matris, in bonis patris competat, quum omnia iura, quae morte non finiuntur, in heredes transmittantur o). Si vero ea sumimus bona materna, quorum intuitu matri nullam tribuerunt leges Hypothecam tacitam viuenti; oppido patet eandem nec liberis successoribus posse tribui, nisi ob nouam legibus stabilitam rationem in persona liberorum eam sumere initium liquido probari possit. Ut igitur, quae generatim hic dicta sunt, clariora fiant; iuuabit per partes eundo recensere ea matris bona, quorum intuitu leges matri assignarunt tacitam Hypothecam; quo facto ea relinquentur, quorum intuitu nulla tacita Hypotheca matri est tributa.

§. XVI.

1) *Ratione bonorum dotalium.*

Primo igitur loco de iis bonis maternis erit agendum, quae *dotalia* vocantur. Constat inter Iurisconsultos *dotem* esse complexum bonorum, quae conferuntur in maritum ad sustinenda

o) L. 24. D. de verb. sign. L. 62. D. de regul. iur.



nenda matrimonii onera *p*), siue constituatur ab ipsa vxore *q*), siue ab alio, qui dotem tribuit, vel ex iuris necessitate, vt pater filiae quatenus propria bona non habet *r*), neque se indignam hoc beneficio reddidit *s*), item vel in subsidium *t*), vel mater haeretica intuitu filiae orthodoxae *u*), vel ex libera voluntate, vbi regulariter mater, frater et alius extraneus. Nec minus notum est eam posse consistere in rebus corporalibus et incorporalibus e. gr. in vsufructu *v*), in mobilibus et immobilibus, in allodialibus et feudalibus, iisque sine consensu domini, si mulier ipsa feudum suum in dotem tradit *w*), modo feudum non venditionis gratia aestimatum detur, neque pactum de lucranda dote adiciatur *x*); cum consensu domini directi si tertius feudum in dotem concessit, in quantitibus et corporibus, iisque vel inaeestimatis vel aestimatis *y*) idque aut taxationis ergo, vt in omnem euentum de vero pretio nullum dubium moueatur *z*), aut venditionis gratia, vt maritus pro pretio definito res dotales habeat emtas *a*). Id tandem vno ore faten-

C 3

*p*) L. 56. §. 1. D. de iure dot. L. 20. C. eod.

*q*) L. 51. D. eod.

*r*) Argum. L. 5. §. 7. D. de agnosc. vel alend. liber.

*s*) Arg. c. L. 5. §. 11. eod.

*t*) L. 14. C. de iure dot.

*u*) L. 19. §. 1. C. de haeret.

*v*) L. 7. §. 2. D. de iure dotium.

*w*) L. F. 13.

*x*) STRVV. Syntag. Iur. feud. C. 13. Aph. 5. Perill. GE. LVD. BOEHMERI princip. iur. feud. L. 1. Sect. 2. cap. 4. §. 262.

*y*) L. 30. C. de iur. dot.

*z*) L. 21. C. eod.

*a*) L. 10. §. 4. de iure dot. L. 5. 1. 10. C. eod.

*b*) L. 70. D. de iure dot. L. 85. pr. D. de reg. iur.



tur omnes summum dotium esse fauorem *b*), ob quas scilicet mulieres conditionem nubendi facile inuenire possunt. Hinc est, vt, quod modo notauimus pater ad dotandam filiam cogatur; vt pacta dotalia; quae mulierem indotatam *c*), immo causam dotis deteriore reddunt, *f*) inualida declarentur; vt denique vxori, dotem repetenti, priuilegium personale fit tributum *g*) cuius loco IVSTINIANVS initio Hypothecam tantum generalem *h*) in bonis mariti vel soceri, qui dotem accepit surrogauit, eamque tandem, misertus mulierum propter obsequia, quae maritis praestant, propter partus periculum et ipsam liberorum procreationem, pro quibus multa legibus inuenta sunt iura singularia, priuilegio praelationis prae aliis hypothecariis et tempore prioribus munitam esse iussit *i*), hocque ius exorbitans et plane singulare etiam ad augmentum dotis bona fide factum extendit *k*). Atque de hac Hypotheca generali in bonis patris eaque priuilegiata, quin matre defuncta etiam eius liberis eiusdem matrimonii relictis competat, eo minus dubium esse potest; quo clarius illud et expressius ab Imperatore in citata constitutione *l*) sancitur et statuitur: vt filiis sic maneat ius incorruptum, quasi adhuc uiuente matre eorum.

## §. XVII.

*c*) L. 2. D. de iure dot.

*d*) L. 6. D. de Collat.

*e*) L. 2. D. de pact. dot.

*f*) L. 6. D. eod.

*g*) L. 74. D. de iure dot. C. 17. §. 1. D. de rebus autorit. iud. possid.

*h*) L. vn. C. §. 1. de R. V. A.

*i*) L. 12. §. 1. C. qui potior. in pign.

*k*) Nou. 97. c. 2. L. 25. D. de reb. aut. iud. possid.

*l*) L. 12. §. 1. C. qui pot. in pignore.



## §. XVII.

2) *Ratione bonorum paraphernalium.*

Bona quae vxori praeter dotem competunt vocabulo rei valde accommodato *paraphernalia* in sensu lato dicuntur, est enim *παράφαιρα* vocabulum graecum ex coniunctione particulae *παρά*, quae praeter significat, et nominis *φάρον*, quod dotem indicat, originem oppido trahens. Haec bona in duplici sunt differentia; fieri enim potest, vel vt administrationem eorum marito permittat mulier, vel vt eandem sibi praecipuam habeat atque referuet. *Quamuis enim bonum erat* aiunt Imperatores THEODOSIVS et VALENTINIANVS *m)*, mulierem, quae se ipsam marito committit, res etiam eiusdem pari arbitrio gubernari, atitamen quoniam conditores legum aequitatis conuenit esse fautores; nullo modo muliere prohibente virum in paraphernis se volumus immiscere. Si prius factum, nimirum vbi mulier administrationem rerum praeter dotem sibi competentium marito concessit, haec bona paraphernalia in sensu stricto nominantur *n)*, ratione quorum ex constitutione IVSTINIANI, si quidem in dotali instrumento Hypothecae pro his nominatim scriptae sint a marito, his esse mulier ad cautelam suam contenta iubetur; sin autem hoc minime scriptum inueniatur habet Hypothecam contra res mariti. Equidem non inficior IVSTINIANVM hac in lege expresse tantum mentionem facere *nominum* et *actionum* quas praeter dotem vxor habet et marito administrandas reliquit. At enim per se patere arbitror rationem et mentem constitutionis omnes res paraphernales corporales aequae ac incorporales complecti, quumque earum par sit ratio, et parem intuitu earum mulieri securitatem impertiri. Hincque nullus dubito *1)* vxori Hypothecam

*m)* L. 8. C. de pact. conuent.

*n)* L. fin. C. eod.



cam tacitam generalem in bonis mariti intuitu paraphernalium  
 strictè sic dictorum tribuere et 2) quoniam liberis tanquam hæ-  
 redibus matris eadem iura post mortem matris debentur, affir-  
 mare, eosdem quoque pro hisce bonis Hypotheca tacita in bonis  
 patris gaudere. Contra ea facile concedo hanc Hypothecam  
 tacitam esse, *simplicem non priuilegiatam*, qualis est quae intuitu  
 dotalium competit. Quum enim de priuilegio praelationes  
 prae aliis Hypothecariis anterioribus lex fileat, iniuile esset ius  
 adeo exorbitans ultra limites expresse assignatos prorogare.

### §. XVIII.

#### 3) Ratione donationis propter nuptias.

Accedo ad *donationem propter nuptias*, intuitu cuius tacita  
 Hypotheca generalis in bonis mariti a legibus est constituta o).  
 Sed ante omnia paucis erit dispiciendum; quid sibi velit pro-  
 pter nuptias donatio. Iuuabit ad hanc quaestionem rite tractan-  
 dam allegare verba THEOPHILI p) quae ex versione latina  
 REITZII hunc in modum concepta sunt. *Est etiam alia spe-  
 cies donationis inter viuos, quae Iurisconsultis quidem ignota erat, sed  
 constitutiones imperiales Iurisconsultis iuniores iam introduxerunt;  
 haec autem dicitur ante nuptias donatio, facitque eam sponsus in  
 sponsam: tacitam in se habens conditionem, ut ea tunc robur habeat,  
 si nuptiae sint consecutae. Vocata autem est ante nuptias, quia ante  
 contractum matrimonium sebat nunquam vero post nuptias, omnino  
 enim omnis donatio constante matrimonio facta inter Virum et vxo-  
 rem prohibita est. Sed facta est constitutio IVSTINI diuinae memoriae  
 permittens, ut, quemadmodum per veteres Iurisconsultos licet constan-  
 te matrimonio dotem augere, et si sorte centum aurei in dotem sint  
 dati,*

o) L. 12. §. 2. C. qui potior in pign. Nou. 109. C. 1.

p) in Paraphrasi Inffit. Tit. de donat. §. 3.



dati, poterat etiam post tempus contracti matrimonii mulier aliam pecuniam, quantumcunque vellet; superaddere, dotemque facere maiorem; atque nemo vocabat hoc donationem: ita et vir donationem ante nuptias maiorem possit facere atque una parte augente permittit etiam alteri licere eadem facere. Sed quum haec quidem vellet constitutio sed tamen ante nuptias donationis nomen dissonum esset iis, quae fiebant; dicereturque ante nuptias, quae fiebat post nuptias. Imperator noster religiosissimus haud Imperfectas volens esse sanctiones, ac rebus nomina conuenientia esse studens, constituit, huiusmodi donationes non modo augeri constante matrimonio, sed et initium capere posse: Si ego enim mulieri iunctus sim matrimonio, haud celebrata cum ea ante nuptias donatione, ob paupertatem forte vel aliam quam causam nunc autem celebrare velim, permittum mihi hoc esse, nec amplius ante nuptias donationem, sed propter nuptias donationem vocari eam sanciens. Et sicut non solum augere sed etiam constituere dotem post contractas nuptias licet, ita et donationes, quae propter nuptias sunt, non modo praecedant nuptias, sed post eas quoque celebratas vel ex parte fiant initiumque capiant. Videor mihi prope a vero abesse asserens, antiquis temporibus apud Romanos uxores, quae in manum mariti conuenerant, atque proprie matresfamilias vocabantur, post mortem mariti contentas fuisse ea; quam iure filiarum familias capiebant, portione q) quae autem sui iuris manebant atque matronarum nomine veniebant praeter restitutionem dotis ea expectasse praemia quae pietas in maritum vitimo voluntatis eius elogio ipsis assignaret. Qualis, opinor, fuit vxor DOMITII TVLLI quem PLINIUS laudat r) quod, moribus caetera non probatissimis, testamen-

q) Conf. HEINECCIJ antiq. L. I. Tit. 10. et Pariatorem legum. Rom. et Mos. Tit. 16. apud SCHVLTING. in Iurisp. Anteiustina, p. 793.  
r) Lib. 8. Epist. 18.



tum fecerat honestissimum posthabitis captatoribus, et scriptis vnice, quos pietas iubebat, cuius verba vxorem respicientia addere non abs re erit: *Gratia, inquit, et relata vxori accepit amoenissimas villas, accepit pecuniam magnam, vxor optima et potentissima: ac tanto melius de viro merita; quando magis est reprehensa; quod nupsit. Nam mulier natalibus clara, moribus proba, aetate decliuis, diu vidua, mater olim parum decore sequuta matrimonium videbatur diuitis senis ita perdit morbo, vt esse taedio posset vxori, quam iuuenis senisque duxisset. Quippe omnibus membris extortus et fractus tantas opes solis oculis obibat; ac ne in lectulo quidem, nisi ab aliis, mouebatur. Paucis interiectis pergit: *Viuebat tamen et viuere volebat sustentante maxime vxore quae culpam inchoati matrimonii in gloriam perseverantia verterat. Mos hic factis diu seruatus sub Imperatoribus christianis potissimum immutatus esse videtur. Crediderant homines, quum multi darentur casus, in quibus maritus dotem vxoris, vel viua ea ob culpam ipsius matrimonio soluto s) vel post mortem vi factorum dotalium posset lucrari, iniquum fore, si non et mulier tantundem e bonis mariti posset lucrifacere. Atque inde ad donationes ante nuptias confugerant, quae, vti dos, in corporibus et quantitibus poterant consistere, et in quibus, si a iure vtendi fruendi pendente matrimonio discesseris, eadem iura vxori competeabant, quae marito vel lege vel pacto in dote erant tributa et quum initio has donationes tantum ante nuptias fieri posse existimarint; constitutione demum IVSTINIANI t) extra omne dubium positum est et has donationes pendente matrimonio; secus atque donationes simplices, fieri posse; quare et nomen donationis propter nuptias tamquam rei naturae magis accommodatum vel ipso Imperatore iubente assumferunt. Multa de**

s) L. 24. C. de iur. dot.

t) L. fin. C. D. donat. ant. nupt.



de his donationibus non tantum in Codice *u*) sed et Nouellis *v*) porro praecepit IUSTINIANVS verbi causa, vt vtraque, dos scilicet et donatio propter nuptias, aequis passibus ambulent, et disparibus pactioibus factis maior lucri pars ad minorem deducenda sit, vt eodem modo vterque minorem partem lucretur *w*) vt immobilia propter nuptias donationis neque Hypothecae dentur neque omnino alienentur *x*). Vt neque vir quod ex dote est, neque mulier ex donatione ante nuptias lucrum proprium habeat sed seruent dominium seu proprietatem suis filiis et si ad secundas nuptias non veniant, *y*) vt donatio propter nuptias contractus specialis sit, neque aliis donationibus connumeretur *z*): de quibus omnibus eorumque vsu, quem hodie apud nos habent, ratio instituti mei vt disputationem instituiam non permittit. Hoc tantum monere debeo, 1) Hypothecam pro securitate huius donationis a legibus vxori tributam non esse priuilegiatam sed simplicem *a*). Vt enim vxori dominium liberis suis, si qui fuerint, seruandum, in re propter nuptias donata competat *b*); tamen Hypotheca est necessaria in casu donationis in quantitate consistens et proficua in casu rei corporalis donatae: si forte culpa mariti vel perierit, vel difficilis sit perfectionis. 2) Quum possit contingere, vt ius, quod mater habebat in donatione propter nuptias in liberos deuoluatur,

D 2

tur,

*u*) L. 20. C. de donat. propt. nupt.

*v*) Nou. 61. §. 1. Nou. 98. Nou. 119. Nou. 97.

*w*) L. 20. pr. C. de donat. propt. nupt.

*x*) Nou. 61. c. 1.

*y*) N. 98. c. 1.

*z*) N. 119. c. 1.

*a*) L. 12. §. 2. C. Qui pot. in pign. Nou. 109. c. 1.

*b*) Nou. 98. c. 1.



tur, nullam dubitandi esse rationem quin et idem ius Hypothecae tacitae in liberos sit deuolutum.

§. XIX.

II) *Ratione maternorum, quae ad receptitia pertinent, ratione quorum liberis tacita Hypotheca non competit.*

Quod ad reliqua bona materna; quae liberis tamquam heredibus matris cedere possunt; attinet, quae ea sunt, quae hodie in sensu stricto *receptitia* vocantur dubio caret, matri eorum nomine nullum ius Hypothecae in bonis mariti competere. Vnde sequitur 1) vt liberi tamquam *heredes matris* tale ius sibi asserere nequeant; 2) vt si proprio nomine eiusmodi ius sibi tributum esse affirmant eius iuris fundamentum ex legibus vel ex earum analogia ostendere debeant. Quod quidem me iudice nunquam effectum dabitur. Etenim verba Imperatoris IVSTINIANI c). *Sed cum tacitas Hypothecas tam veteres leges in quibusdam certis casibus introduxerunt; quam nos in miternis, caeterisque donationibus, quas seruare necesse est, et dubitabatur; ex quo tempore Hypothecas competere oportet, vtrumne ab initio, an ex eo tempore; ex quo male aliquid gestum est; compendiosa narratione interpretamur; initium gerendae vel deferendae administrationis vel obseruationis esse spectandum, et non tempus, ex quo male aliquid gestum fuerit: quae ad fundandam tacitam Hypothecam ob bona materna quaelibet a patre administrata in bonis patris adduci solent d) hunc sensum minime admittunt: Decidunt tantum quaeestionem, quae in controuersiam abierat, ex quo tempore Hypotheca tacita debeat competere? vtrum nimirum, spectandum*

c) in L. 6. §. 4. C. de bon. quae liber.

d) Conf. LEYSER Spec. 226. Med. 4.



fit tempus, ex quo male aliquid gestum fuerit, an tempus quo administratio vel suscipienda erat vel deferenda. Et satis aperte indicant, ad posterius tempus, tamquam ad terminum, a quo Hypotheca initium capit, esse respiciendum. Quaestionem autem, quibus in casibus liberis Hypotheca tacita in bonis patris competat ratione maternorum bonorum, tantum abest, ut haec verba legis decidendam sibi sumant; ut potius decisionem eius in aliis legibus anterioribus factam supponant; ad easque sese referant; quae sine dubio L. 6. §. 2. L. 8. §. 4. §. C. de secund. nupt. Quarum prior a LEONE et ANTHEMIO a. o. r. 469. posterior a IUSTINIANO anno salutis 528. promulgata adeoque utraque anterior est L. 6. C. de bon. quae lib. quae prodiit a. 529. adeoque ipsa temporis praerogativam habet prae L. vn. C. de R. V. A. data Cal. Nov. 530. nec non L. 12. C. qui pot. in pign. data quippe 5 Cal. Dec. 531. adeoque perperam a quibusdam tamquam leges ad quas respexit L. 6. C. de bon. quae lib. allegantur.

### §. XX.

#### III) Neque etiam ratione aliorum aduentitiorum.

Quae cum ita sint, multo minus liberis intuitu aliorum aduentitiorum quae pater administravit, in bonis ipsius Hypothecam tacitam generalem tribuere possumus. Namque 1) Imperator IUSTINIANVS postquam in L. 6. C. §. 1. de bon. quae lib. praeceperat, ut, quae filiis familias extrinsecus acquiruntur, eodem iure aduentitiorum ordinariorum gauderent; quo bona materna iam diu erant instructa, immediate §. 2. subiungit. Non autem Hypothecam filii familias adversus res patris viventis sperare audeant. Ex quibus verbis sole meridiano clarius elucet, intuitu horum bonorum Hypothecam tacitam tantum abesse ut legibus tributa censi possit, ut potius diferte negata sit

E

existi-



existimanda. 2) Neque valet argumentum a tutela naturali patris deductum, namque constat patrem habenti tutorem non dari *e*) adeoque administratio bonorum aduentitiorum non tam ex iure tutelae quam ex iure patriae potestatis dependet *f*). Hincque quae de Hypotheca in bonis tutorum a legibus sunt stabilita, ad bona patris aduentitia filiorum administrantis male transferrentur *g*). Neque 3) cum *Negusantio* tacita Hypotheca in bonis patris ratione aduentitiorum extrinsecus obuenientium est admittenda in casu malae et fraudulentae administrationis. Siquidem in *L. 6. §. fin. C. de bon. quae lib.* ad quam prouocat, et quam §. praecedente adduximus, altum de Hypotheca tacita et de casu malae administrationis est silentium. Vt igitur summam complectar, quae haecenus sunt disputata susius, de Hypotheca tacita liberis in bonis parentum competente, tota res de iure communi eo redit vt, notemus 1) in omni casu, quo extraneus iure Hypothecae tacitae vel generalis vel specialis gaudet eandem quoque liberis in bonis parentum positus terminis habilibus Hypothecam esse concedendam (§. 8. 11). 2) In casu secundarum nuptiarum liberis prioris matrimonii ad securitatem eorum, quae parens binubus ex lege ipsis quoad proprietatem salua seruare debet, competere tacitam Hypothecam in bonis cuiusuis parentes binubi (§. 11. 12. et denique 3) liberis in bonis patris generalem tribuendam esse Hypothecam intuitu bonorum maternorum ex persona matris, seu quatenus ea iam matri fuit assignata. §. 14. 18. Quibus obseruatis filum tractationis abrumpo eique finem impono.

*e*) *L. 6. §. vlt. D. de tutel. L. 239. pr. D. de verb. sign.*

*f*) *L. feri pr. C. de bon. quae lib.*

*g*) *De pign. et Hyp. P. 2. memb. 4. n. 13. p. m. 99.*



## THESES.

VII  
I.

*Post litem contestatam nullo de iure admittitur libelli mutatio.*

VIII  
II.

*Redditio Chirographi non directe prodest tertio in eo nominato.*

IX  
III.

*Obligatio quasi ex contractu non ex ficto consensu, sed ex lege descendit.*

IV.

*Qui exceptioni enormissimae laesionis renunciauit, contra hanc renunciationem in integrum restitui nequit.*

V.

*Et is, qui in exheredationem consensit, in constituenda legitima utique computandus est.*

VI.



VI.

*Iuramentum delatum et acceptatum si nondum iudicis  
sententia, de eo in rem iudicatam transit, reuocari omnino  
a deferente potest.*

VII.

*Exoneratio conscientiae excludit acceptationem et rela-  
tionem iuramenti.*

VIII.

*Propositio negatiua, qua nempe ius actoris fundatur,  
vtique probari potest.*

IX.

*Secundum ius commune reus litem contestari nolens  
pro confesso et conuicto habetur.*

VI.

*Qui exceptionem non proponit, non iuramentum  
pro hac renunciationem in integrum restituere debet.*

V.

*Et si, qui in expeditionem confesit, in constituenda  
legitima vtique comparandus est.*

IV.



## ERRATA.

- pag. 2 lin. 8 pro: qui lege quae  
— 9 lin. 15 pro: eamque lege illamque  
— 11 allegat. sub *æ*) pro: quando mal. offai. tutel. lege quando mulier offic. tutel.  
— 12 lin. 8 pro: auicæ lege auice  
— 13 lin. 5 pro: competret lege competeret  
— — lin. 13 pro: tantam lege tacitam  
— 18 allegat. sub *b*) pro l. 8. §. 45. lege l. 8. §. 4. 5.  
— — — sub *c*) pro: L. 612. lege L. 6. §. 1. 2.  
— 20 lin. 4-5 pro competeret lege competierit.  
— 21 lin. 4 post vocem item lege mater  
— — lin. 5 mater haeret. dele vocem mater  
— — lin. 6 pro: vbi lege vti  
— 26 lin. 4-5 pro: potentissima lege patientissima  
— — lin. 9 pro: fenusque lege fanusque  
— 30 allegat. sub *f*) pro: feri lege fin.
-



ERRATA.

- pag. 2 lin. 2 pro: qui lege dant
- 9 lin. 12 pro: campo lege illamque
- 11 allegat. sub 2) pro: quando mag. illal. tutel. lege dant-
- 12 lin. 8 pro: autem lege autem
- 13 lin. 2 pro: competet lege competet
- 14 lin. 13 pro: tantum lege tantum
- 15 allegat. sub 6) pro: h. 2. 4. 8. 2. 4. 8.
- 16 sub 2) pro: h. 2. 4. 8. 2. 4. 8.
- 20 lin. 2 pro: competet lege competet
- 21 lin. 2 non vocem hanc lege hanc
- 22 lin. 2 mater dicitur hanc vocem mater
- 23 lin. 2 pro: ubi lege ubi
- 24 lin. 2 pro: potentissima lege potentissima
- 25 lin. 2 pro: legibus lege legibus
- 26 allegat. sub 1) pro: vel lege hanc

ff. 204.





ULB Halle

3

004 588 452



*nur 1 Stück*









1778, 5 14  
522

DISSERTATIO  
INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

TACITIS HYPOTHECIS

QVAE  
LIBERIS IN BONIS PARENTVM  
COMPETVNT

QVAM

AVSPICIIS REGIIS

ILLVSTRIS ORDINIS ICTORVM AVCTORITATE

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

CAPESSENDIS

D. VIII. SEPT. MDCCLXXVIII.

H. L. Q. C.

PVBlico EXAMINI

SVBMITTIT

HARRE FRIDERICVS FEDDEN

BREMENSIS

GOTTINGAE,

Litteris JOANN. CHRIST. DIETERICH

ACAD. TYPOGR.

*F. Fedden's Hypothecis*

